

re: et serm. XCI. de manna, quo cadente dicebant Hebræi: *Quid est hoc? Manna ergo interpretatur quid est hoc?* ait: *Vide non ipsa nominis virtus ad disciendum te provocat, ut cum audieris legem Dei recitari in Ecclesia, semper interrogas ut dicas doctoribus: Quid est hoc?*

Tertio, executioni mandandum, quod est manum o. j., seu verbo concionatoris admovere. Hoc est quod Luc. XI. ait Dominus: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud:* et Joan. XIV. *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.* Qui habet in sermonibus et servat in moribus, ait Augustinus. Multi post auditam concionem inter se colloquuntur, an fuerit bona concio; quibus ego respondeo, panes ipsos esse bonam vel malam concionem. Si enim eam observent, bona fuit; sin minus, mala fuit. Ita enim medicinam tum demum asserimus esse bonam, quando in agro vires suas exeruit, et desideratum effectum edidit: malam vero, quando sumentis nihil profuit. Idipsum aliis similibus declarat Clemens Alexandr. I. II. Strom. «*Quemadmodum sphaera ludere non solum dependet ab eo qui mittit sphaeram, sed ei etiam eo opus est qui numerose eam excipiat, ut ex sphaerae legibus peragatur ludi exercitatio; ita etiam ut sit doctrina fide digna, accidit quando fides eorum qui audiunt, quæ est ars naturalis, confert ad disciplinam. Adjuvat terra fertilis ad seminum dejectionem. Neque enim optimæ doctrinæ est aliqua utilitas, nisi adsit ejus, qui discit, susceptio; neque prophetiæ, nisi adsit obedientia eorum qui audiunt. Aridæ enim festucæ, quæ sunt paratæ ad suscipiendam urendi facultatem, facilius accendunt propter cognationem, et lapis qui vulgo jactatur ferrum trahit, et lacryma succini attrahit festucas, et electrum movet paleas.*»

Quare, auditores, ne fiamus similes Pharisæis et Judæis multis, qui nihil fructus spiritualis ex hodierna refectioe ceperunt: discamus aliter nos ad mensam verbi divini accedere per præparationem præviam, per attentionem, per custodiam ejusdem. Sic enim et: *Manducabimus, et saturabimur, ut possimus dicere aliquando cum Davide: Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

CONCIO V.

SEPTEM MEDIA AD PROFICIENDUM.

I. Quotidie incipere te existima. — II. Cogita Deum tibi semper adesse. — III. Omnia opera tua ad Deum dirige. — IV. Verbum Dei sedulo audi. — V. Examina conscientiam fac quotidie. — VI. Frequens et pius usus s. confessionis et communionis. — VII. Seria resolutio ad proficiendum.

THEMA.

Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Marc. VIII.

Quatuor millia fuisse in hodierno convivio, scimus ex S. Marco. Lucas addit, parvulos ibi præsentem in numerum non venisse. Causam dat Origenes, hom. I. in lib. Num. *Donec inest alicui nostrum vel puerilis vel lubricus sensus, haberi apud Deum in sancto et conservato numero non meremur,* inquit. Hoc est, quod dudum dicebam, crescere nos oportere in sanctitate et justitia omnibus diebus nostris, si Deo placere et in electorum numero esse velimus, quemadmodum et apostolus ad Eph. IV. monet: *Veritatem facientes, crescemus in Christo per omnia.* Per omnia nimirum membra, seu omnes et singuli: per omnia, quaquaversum, in omnibus virtutibus: per omnia, seu omnino et necessario. At jam dicit quis: Quomodo crescemus, seu quibus mediis? Panes comedite. Hinc enim crescunt pueri in viros, quando panes comedunt. Quot istiusmodi panes habemus? *Septem,* aiunt discipuli in hodierno evangelio, depromamus ergo illos.

I. Tres suppeditat nobis S. Carolus Borromeus. Quorum primus, quotidie inchoare te existima cum Davide, qui, jam senex, cum dixisset: *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui, motus cogitatione æternitatis, subdit Ps. LXXVI. Dixi nunc cepti. Hæc mutatio dexterae Excelsi.* Quis autem nescit omne initium fervere? Novas scopas melius verrere quam antiquas? Qui immensum pelagum coram se videt, in Indiam navigaturus, ubi per aliquot septimanas navigavit, nihil adhuc itineris se fecisse ait; unde remiges et nautas incitat quotidie ad labores, quasi primum e portu solvisset. Qui civitatem expugnare statuit, ad novos assaltus continuo milites suos excitat. Quanto magis pro acquirendo cælorum regno novos semper spiritus resumere debemus! Sive enim cogitemus dies æternos in cælo, nunquam satis eos mereri possumus: sive in inferno, nunquam satis eos fugere. Quotidie ergo instauremus vires ad laborandum et fugiendum. Quid agunt Eucliones, qui pecunias congregant! Quando nam audiuntur dicere, satis sibi divitiarum esse? Parcendum tandem curis et laboribus lucris causa institutis, contrahenda vela, quibus aurum sibi afferebatur? Nunquam. Ecce isti: *Ut inique agerent, laboraverunt,* ait Jer. c. IX. Et nos non laboremus, ut pro regno cælorum in æternum possidendo bene agamus?

II. Cogita Deum semper tibi præsentem adesse, sicut revera est, tuæque omnia inspicere. Hoc indicavit Deus Abrahæ, Gen. XVII. *Ambula coram*

me, et esto perfectus, q. d. sic fies perfectus. Imperativus enim sæpe ponitur pro futuro in ss. litteris. Quis coram principe stans, aut quis servus coram domino suo agens, non componit mores suos? Et cur non magis vereamur oculos Dei? Samuel unde a puero tantum profecit, ut Deus ipsi loqueretur, et adhuc adolescens ad imperandum Israeli assumeretur? Quia coram Deo et magistro suo Heli sacerdote ambulavit. Sic enim dicitur I. Reg. II. *Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis:* sic et David. Psal. CXVIII. *Servavi mandata tua et testimonia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* S. Dositheus ex dissoluto milite perfectus monachus evasit. Unde? Ex illo S. Dorothei magistri sui præcepto: *Cogita semper Deum tibi præsentem, et te coram illo stare, ut in ejus vita.* Inde etiam ad miram sanctitatem pervenit Josephus Anchieta noster. Vidi hoc et Seneca, qui, l. 1. ep. XI. ait: «*Aliquis vir bonus nobis eligendus est ac semper ante oculos habendus, ut sic, tamquam illo spectante, vivamus, et omnia, tamquam illo vidente, faciamus.* Magna pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis assistat, etc.»

III. Omnia opera tua tendant ad Deum. Insidiatur dæmon operibus nostris, sicut Ap. XII. legimus stetit draconem ante mulierem parturientem, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. Verum infans editus mox raptus est in cælum, et mulier fugit in solitudinem. Sciebat ista mulier, quæ animam sanctam representat, tantum esse valoris opus justitiæ, per filium masculum designatum, ut non nisi coram Deo collocandum esset: idcirco celerrime prolem suam ad Dei thronum direxit, ne a dracone devoraretur. Insidiatur operibus nostris igneus ille draco, ut edita mox deglutiat et inania reddat, per terrenos fines. Ergo, si sapimus, mox ad Dei gloriam ea elevemus; nos ipsos vero per humilitatem abscondamus, quasi nihil boni fecissemus. Dolendum vero quod pauci mulierem hanc imitentur. Plures struthionem sequuntur, qui non in arboribus et alto loco, ut aliæ aves, sed in arena ponunt ova sua, de quo Job, cap. XXXIX. ait: *Derelinquit ova sua in terra, obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat, duratur ad filios, quasi non sint sui: frustra laboravit.* Idem faciunt qui opera bona nulla prævia bona intentione peragunt, sed ex consuetudine, quasi ad mensam vel lectum eant: sic ea in terra ponunt, ubi facile ab hominibus per inanem gloriam conculcantur, imo etiam suapte inanitate pereunt, nec ad Dei conspectum ascendunt: ergo non nisi terrenam mercedem acquirunt, itaque frustra laborant. Hinc majores nostri docuerunt parvulos

suos, ubi orarent, orationem suam elevatis manibus in cælum quasi ejaculari, dicentes: *Eat in cælum.*

IV. Verbum Dei sedulo et pie audi. Moyses ad ostium tabernaculi fecit labrum teneum de speculis mulierum, ut introeuntes in eo se inspicerent, et maculas suas abstergerent, Exod. XXXVIII. Multo magis requirit Deus, ut tam animus quam corpus mundum in conspectu ipsius sit, et a sordibus tergatur. Speculum nostrum Dei verbum est in templo prædicatum: id enim unicuique, qualis sit et esse debeat, representat. In eo igitur crebro se inspiciat qui maculas omnes tergere et proficere vult. Verum cur de speculis mulierum erat lavatorium? Quia mulieres potissimum speculis utuntur, et crebro, et quidem eoque fine, ut ab omni se immunditie expurgent. Viri raro utuntur speculis, et si forte inspiciunt, fere ex curiositate tantum, ut videant an canos vel rugas habeant, non ut maculas abstergant. Hinc Sanctus Jacobus, c. XI. vult ut Dei verbum audiamus, non quemadmodum viri: *Si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.* Bene ait: *Vultum nativitatis suæ.* Multi enim considerant vultum nativitatis alienæ tantum, quemadmodum Acco, anus illa delira, quæ videns in speculo suam imaginem, putabat esse aliam mulierem, unde eam irridebat, alloquebatur, et minabatur, etc. (uti etiam infantes faciunt) apud Rhodiginum, l. XVII. cap. II. Multi, dum concionem audiunt, non se existimant, unde quos perstrictos putant, ridet; sed alios in ea se videre, alios depingi non se damnant, et seipsos negligunt, adeoque nihil proficiunt. Simillimum huic speculo sunt libri pii, vita Christi et sanctorum, quorum vitam intuentes, nostram inde corrigimus, et ipsis conformare studemus.

V. Examen conscientie quotidie fac. Sæpius in Canticis laudat sponsus sponsam ab oculis columbæ, ut c. I. et IV. *Oculi tui columbarum:* et vicissim sponsa, c. V. laudat sponsum ab oculis columbæ: *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluentia plenissima.* Amant columbæ juxta aquas limpidas sedere, tum ut iis se lavent, tum ut in iis, nisi circumvolitantis umbram videant, quo sibi ab eo cavere possint. Pari modo anima pia in examine conscientie suæ, velut aqua limpida, seipsam primo inspiciat et abluat; deinde insidias dæmonis diligenter investiget. Ita Origenes, hom. III. in Levit. «*Ferunt hoc genus avis (columbas) cum ad aquas venerit, quia ibi solet accipitris insidias pati, venientem desuper inimicum, volitantis umbra*

quis inspecta, deprehendere. Quod si et tu ita prospicere potueris insidias diaboli et cavere, sacrificium Deo columbas obtuleris. »

Sed, si columbæ illæ lacte sunt lotæ, adeoque valde candidæ, quid opus eas inspicere per examen? Id nimirum vult Spiritus sanctus, ut in examine conscientiæ etiam bona nostra opera inspiciamus et examinemus, quæ videntur esse lactea, an bene facta sint, et nullo aspersa nævo. Cujus doctrinam præbuit ipse Deus, dum omnia opera sua examinans quasi et inspiciens singulatim, vidit quod essent bona, adeo ut etiam lucem inspexerit: *Et vidit Deus lucem quod esset bona*. Quæ caligo poterat esse in lumine? Nimirum voluit, ut nos omnia opera nostra ad trutinam revocemus, etiam quæ lucida et lactea apparent, juxta id Job: *Verebar omnia opera mea*, cap. IX.

VI. Frequens et pius usus sacræ confessionis et communionis. Quando Christus Hierosolymam intrare ad virtutum omnium consummationem et gloriosissimam dæmonis, mortis et peccati debellationem voluit, mandavit discipulis duobus, ut asinam sibi adducerent: *Solvite et adducite mihi*; qui solverunt et adduxerunt, et Christum ei imposuerunt, Matth. XXI. Vis tu ad perfectionem ascendere? Vide ut patres spirituales solvant a peccatis animam tuam, quoties alligatam vineulo aliquo peccati noris. Nec hoc solum, sed roga insuper ut adducant eam ad Christum, hoc est, instruant, corrigant, media emendationis præscribant, vias virtutis acquirendæ demonstrant; demum Christum asinæ in sacra communione imponant, prius tamen vestibis discipulorum, hoc est, sanctis virtutibus instratæ. Asina vero Christum caute et suaviter portet, quemadmodum asini ne impingunt pedibus ne succussant equitem, nec in lutum inrant, cum evitare possunt.

VII. Seria resolutio ad proficiendum quotidie sine dilatione. Docet hoc sapiens illa mulier, Prov. XXXI. quæ ex hoc laudatur, quia: *Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum*. Quod si ad fortia manum mittamus debellando primaria nostra vitia per actus heroicos, nullo fere negotio reliqua expugnabimus: diffugiet totus hostium exercitus, si Goliath fuerit prostratus. Sed manus applicanda est, et quemadmodum mulier illa: *Operata*

est consilio manuum suarum, hoc est, statim executi sunt sua consilia, quasi consilia in manibus fuissent; ita agendum nobis. Incipiamus paulatim a minoribus præliis ascendere ad graviora. Quod si facere recusemus, culpa nostra peribimus. Chronicon Alexandrinum refert mirum Theodorici regis Rom. factum. Vidua quædam, dicta Juvenalis, regi quæstæ est, quod jam toto triennio causa ejus protraheretur in curia, quæ biduo expediri facile potuisset. Vocati a rege iudices qui causam ventilabant, mandatum accipiunt ut, quam fieri possit citissime, viduæ litem terminent; quod et fecerunt, bidui spatio, uti vidua prædixerat, causam expedientes. Tum Theodoricus iudices adesse jubet, qui lætitudinem advolant, quasi rem bene administrassent. Tum interrogat: Qui factum est ut bidui spatio expediveritis quod spatio trium annorum non fecistis? Iis respondentibus: Quia majestas vestra ut id faceremus mandavit. Rex dixit: Quando eum vobis detuli magistratum, nonne omnes causas, et imprimis viduarum commendavi? Mortem commeruistis, qui causam quorum dierum triennio protraxistis; eoque momento jussit illis capita amputari. Jam tibi, quisque es, causa animæ tuæ demandata est quanto citius expedienda, quia nec biduum tibi promissum. Et quomodo hoc negotium salutis tuæ, omium maximum, non aggredieris, sed de die in diem differs? Quid respondebis Deo? Laborandum est, ais. At quam brevis labor! Et quomodo ad præmium accedes sine labore? *Si quis non vult operari, nec manducet*, ait apostolus, II. Thessal. III.

Ergo, auditores, arripiamus panes istos, si crescere velimus. David certe Psal. CI. ait: *Arui cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Sed cur obliviscimur hunc panem, qui materialem non obliviscimur? Nonne Pharisæus ille in convivio sedens cum Christo, quasi epulas convivii pro nihilo duceret præ cœlesti illo, dixit: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, Luc. XIV. Solus enim ille panis satiabit appetitum nostrum. Quare ut ad panem illum aliquando perveniamus, crescere studeamus, atque ut crescamus, et inter viros recenseri, digni cœlesti mensa, mereamur, de septem istis panibus, quos hic proposuimus, indesinenter comedamus.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. VII.

IN illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

CONCIONES.

- I. Triplex arbor mala, peccatum, concupiscentia, voluptas: earundem fructus.
- II. Exponitur sententia Christi in arboribus steriles.
- III. Cur requirat a nobis Deus bona opera.
- IV. Quinam frustra dicant Deo: Domine, Domine.
- V. Mendacium quam sit fugiendum.
- VI. Quinque pseudoprophetæ cavendi, mundus, caro, dæmon, hæretici, divinatores.
- VII. Hypocritarum indicia.
- VIII. Fructus hæreseos.
- IX. Hæretici depinguntur.

X. Documenta et mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Arbori bonæ similem debere esse hominem.
- II. Homines ambulantes velut arbores.
- III. Quare retineant perversos ne converti, et bonos fructus ferre possint.
- IV. Quare retineant justos, ne peccare queant.
- V. Perfectio christiana quibus in rebus potissimum consistat.

CONCIO I.

TRIPLEX ARBOR MALA, PECCATUM, CONCUPISCENTIA, VOLUPTAS; EARUMDEM FRUCTUS.

- I. Peccatum, ejus fructus: 1. Apertio oculorum. 2. Auditas. 3. Pudor. 4. Remorsus conscientiæ. 5. Metus judicii divini. — II. Concupiscentia: 1. Gignit pugnam spiritum inter et carnem. 2. Impedit a bonis operibus. 3. Causat inquietudinem. 4. Ad peccandum trahit. 5. Mentem obscurat. — III. Voluptas: 1. Eripit homini mentem. 2. Effeminationem reddit. 3. Damnis temporalibus afficit. 4. Desinit in amaritudinem.

THEMA.

Non potest arbor mala bonos fructus facere.
Matth. VII.

Malæ arboris, auditores, mali etiam surculi sunt. Mala utique arbor fuit lignum scientiæ boni et mali, quia primos nostros parentes et

nos cum illis perdidit misitque in exilium, sed nec meliores surculi, qui ex illa prodierunt. Sublata est quidem arbor scientiæ mali et boni; genuit tamen ex se, et post se reliquit alias tres arbores, quæ pestifero suo veneno ingentem in mundo stragem edunt perduntque innumeros homines. Sunt autem peccatum, concupiscentia, voluptas: concupiscentia est mater, (cujus maritus quasi, adeoque peccati pater, est voluntas propria) peccatum est proles, voluptas est semen. Ergo ut nosse et cavere has arbores possimus videamus earum fructus.

I. Est peccatum, cujus typus erat arbor scientiæ boni et mali, quæ primis nostris parentibus quinque pestilentes et amaros fructus attulit; quorum primus erat apertio oculorum: *Aperti sunt oculi amborum*, ait s. textus. Ante peccatum enim, vel etiam in peccando, plane cæcus est homo, dum nequaquam videt, quantum